

isti adorant ydola

Camul est quedam prouincia in qua sunt multe ciuitates & castra. quarum magistra ciuitas est camul prouincia uero est in medio duorum desertorum. gentes omnes adorant ydolla & loquelam per se habent. viuunt de fructibus terre. nam habundant in ipsis. & etiam uiatoribus transeuntibus uendunt de ipsis. homines solatiosi sunt nam ad nil aliud intendunt quam ad instrumenta pulsandum canendum trepudiandum. & si quis forensis causa hospitandi ad eorum domos accederet multum gaudent/ precipiuntque eorum uxoribus filiabus sororibus & alijs consanguineabus ut eius beneplacita integre debeant adimplere & in domibus eorum iaceunt & omnem delectationem capiunt tamquam eorum proprie essent uxores & hoc modo omnes de dicta prouincia posunt dici cucurbite/ set hoc sibi reputant ^{16v°} ad magnum honorem & decus. mulieres quidem formose sunt & solatiose ualde

adorant ydola hic sunt nestorini & saraceni xpistiani coniunguntur cum ydolatri

Jvguristam quedam prouincia magna est & subiacet magno can in ea sunt ciuitates & castra multa set principalior ciuitas carachoço apelatur. ciuitas ista sub se multas alias ciuitates & castra dstringit. cuius gentes ydolla colunt. set multi sunt xpistiani nestoriam legem sectantes. sunt & aliqui saraceni xpistiani cum ydolatri sepius matrimonio coniunguntur. regem uero quem primitus habuerunt. dicunt non ex humana natura originem asumpsisse set ex quodam tubere quod ex humore arborum concreatur quod quidem apud nos dici esca. exortum fuisse & ab illo omnes alij descenderunt. gentes ydolatre secundum earum leges & mores sapientissime sunt & semper stude[n]t in artibus liberalibus/ in terra illa nascuntur blada & uinum optimum. set in hyeme frigus est ibi intensius quam sciatur in aliqua parte mundi/

gentes sapientissime sunt & student in artibus liberalibus.

hic sunt ydolatri nestorini & macometani

ghyenghin talas est quedam prouincia que similiter est iuxta desertum inter tramontanam & magistrum. & est spatij xvj dietarum dominio subiacet magni canis in ea sunt multe ciuitates & castra & sunt ibi tria hominum genera uidelicet quidam adorant ydolla & illi sunt plures quidam sunt xpistiani turchi legem sectantes nestoriam quidam machometi legem obseruant in confinibus istius prouincie est quidam mons in quo est bona uena calibis & andaniqui etiam est quedam uena de qua fit salamandra & rome est/ unum gnusape salamandre/ quod ^{17r°} quidem magnus canis sumo pontifici pro magno dono transmisit & in eo sunt ista uerba descripta. Tu es petrus & super hanc petram edificabo ecclesiam meam/ Quando uero disceditur a prouincia supradicta itur per .x. dietas inter leuantem & grecum & in toto itinere pauce sunt habitationes. nec sunt aliqua que sint digna relatu in capite uero .x. dietarum inuenitur quedam prouincia nomine Succio in qua sunt multe ciuitates & castra cuius gentes ydola collunt. sunt & in ea aliqui xpistianj. subduntur dominio magni canis./ inuenitur in hijs prouincijs Reobarbaro in maxima quantitate & mercatores per uniuersum mundum ipsum portant/ nam in eis quedam herba nascitur uenenosa quam si bestie comedant.

ydola adorant & aliqui xpistiani